

simile, ut sic dicam. Unde etiam fit, per se non esse necessarium ad hanc potestatem confirmandi, ut minister ipse confirmatus sit, quia ad ministrandum sacramentum non est necesse simile sacramentum recepisse, ut patet aperte in extrema unctione vel matrimonio; et quia potestas confirmandi non datur per characterem confirmationis, sed per characterem Episcopalem, qui per se non pendet a characterem confirmationis, sed absque illo dari potest, suamque efficaciam habere. At vero ex parte dantis hanc facultatem posset etiam aliquis opinari, hanc facultatem posse committi sacerdoti, non solum a summo Pontifice, sed etiam ab aliis Episcopis; hujus tamen sententiæ nullum invenio expressum assertorem; videtur tamen posse colligi ex decretis citatis in fine præcedentis sectionis, in quibus absolute et generatim dicitur, presbyterum posse ex facultate Episcopi chrisma conferre.

4. *Potest Sum. Pontifex committere simplici sacerdoti facultatem confirmandi.* — Dicendum vero est primo, Summum Pontificem posse committere simplici sacerdoti, ut sacramentum confirmationis rite et valide ministret. Hæc est sententia D. Thom. hic, et in 4, dist. 7, ubi cæteri Theologi eam communiter amplectuntur, Richard., Major, Palud., Capreolus; item Alens., 4 part., q. 28, memb. 4, art. 3, § 2; Marsil. in 4, quæst. 5, art. 3; Antonin., 3 part., tit. 44, cap. 44, § 6; Ferrar., 4 cont. gent., cap. 60; et reliqui recentiores, et Summistæ omnes; Sylvest. et Ang. locis supra citatis; et alii verb. Confirmatio; et Navarr., cap. 22, § 8; Covar., lib. 4 Variar., cap. 40, qui refert alios jurisperitos. Fundamentum hujus sententiæ sumitur ex quodam facto D. Greg., quod refertur cap. Pervenit, dist. 95, quod sumptum est ex lib. 3, epist. 26; cum enim Greg. relatam fuisset in insula Sardinia solitos fuisse presbyteros, baptizatos confirmare, id facere eos prohibuit, ut ipse refert dict. epist., et colligitur ex epist. 9 ejusdem libri; ex hac autem prohibitione cum ortum scandalum videretur, sic scribit Gregor. in prædicto textu: *Nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus, sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri, etiam in frontibus, baptizandos chrismate tangere debeant, concedimus.* Ex quo facto colligunt prædicti auctores, posse Pontificem facultatem hanc simplici sacerdoti concedere. Alii autem doctores variis modis

ad hoc factum respondent. Primo, quidam non verentur dicere, Gregorium ut hominem in eo facto errasse, sequendo propriam opinionem, quam probabilem existimavit. In his enim rebus, quæ magis ad usum pertinent, quam ad doctrinam, interdum potest errare Pontifex, non docendo, seu definiendo, sed operando; sic interdum dispensat in voto solemnium, vel in matrimonio rato, sequendo probabiles opiniones, quæ fortasse in re ipsa falsæ sunt; ita ergo accidere potuit in prædicto casu. Et hanc responsionem non judicant improbabilem Durand. et Paludan. supra, mihi tamen nullo modo probanda videtur. Primo quidem, propter eximiam Gregorii sanctitatem et doctrinam, unde non est verisimile in re tam gravi, se periculo errandi exposuisse, maxime cum dispensatio illa non uni tantum, vel alteri privatae personæ, sed integræ cuidam provinciæ concederetur, nam error hujusmodi fuisset gravissimus, et valde perniciosus, et in re pertinente ad substantiam sacramenti. Deinde, quia Gregorius non concedit hanc facultatem verbis significantibus aliquod dubium vel probabilitatem, sed tanquam de re certa et indubitata loquitur. Denique non legimus ante Gregorium quæstionem hanc sub his terminis fuisse in disputationem adductam, et utrinque ortas esse opiniones probabiles, ut credamus Greg. altera earum uti voluisse, sicut in exemplis adductis contingit; ergo nullo fundamento dici potest, Gregorium id fecisse sequendo opinionem probabilem, sed quia antiqua traditione, et fortasse ex suorum prædecessorum usu (licet scriptus non sit) intellexit, et pro constante habuit, se habere illam potestatem.

5. Est autem secunda responsio, quam afferunt Glossa in prædicto casu, et Scotus ac Bonaventura supra, Gregorium ibi nec dispensasse, nec potestatem aliquam concessisse; sed connixisse tantum, et quod sine scandalo vetare non poterat, permisisse. Hæc vero responsio est contra vim verborum Gregorii; non enim ait, *permittimus*, sed *concedimus*, ex quo sumitur efficax argumentum. Nam, si Gregorius illo verbo in sua proprietate usus est, ergo non tantum factum permisit, sed etiam facultatem id faciendi concessit. Si illo autem verbo usus est ad dissimulandum, gravissime deliquit, quia non solum errorem quemdam permisit, sed etiam specie suorum verborum confirmavit et auxit. Adde (quod bene Scotus notat) non potuisse Pontificem in re tam gravi errorem et abu-

sum illius gentis dissimulare ac permittere propter tam levem causam, qualis erat quorundam tristitia, et scandalum acceptum potius quam datum, nam potius ad officium Pontificis pertinebat, si scandalum illud ex errore nascebatur, veritatem constanter docere, ut error, et consequenter scandalum tolleretur.

6. Tertio responderi potest ex Scoto, eo tempore presbyteros non fuisse tantum simplices sacerdotes, sed etiam fuisse Episcopos consecratos, quamvis non omnes haberent jurisdictionem Episcopalem, sed unus tantum in singulis civitatibus, qui per antonomasiam nomen Episcopi retinebat; et ideo ad illum solum spectabat hujus sacramenti collatio; quia vero alii presbyteri habebant etiam Episcopalem consecrationem, ideo facile potuit Gregorius ad eos extendere facultatem conferendi hoc sacramentum, quia hæc potius erat ampliatio quædam jurisdictionis, quam ordinis, seu consecrationis, sicut posset nunc Papa concedere uni Episcopo potestatem confirmandi in alieno Episcopatu. Sed neque hæc responsio potest satisfacere, quia, licet fortasse in initio Ecclesiæ solitum fuerit, simul cum dignitate sacerdotii conferre Episcopalem consecrationem, tamen illa consuetudo non longo tempore duravit, et saltem tempore Gregorii certum est, simplices sacerdotes fuisse distinctos ab Episcopis, non solum jurisdictione, sed etiam consecratione; nam ante Gregorium dixit Eusebius Papa, confirmationem datam a sacerdote esse irritam, et tamen si sacerdos esset consecratus Episcopus, quamvis jurisdictione careret, nihilominus sacramentum confirmationis, ab eo datum, factum teneret. Ergo signum est, tum fuisse sacerdotes simplices sine consecratione Episcopali, et hoc est, quod Greg. ait: *Et nos quidem secundum veterem Ecclesiæ nostræ consuetudinem fecimus.* Hæc enim consuetudo de simplici tantum sacerdote intelligenda est, et hæc est, quæ hactenus durat in Ecclesia Romana. Denique Gregorius dicit se concedere hanc facultatem presbyteris in absentia Episcopi; ergo loquitur de presbyteris carentibus consecratione Episcopali.

7. Quarto respondet Adrianus, non loqui Gregorium de sacramento confirmationis, sed de aliqua alia cæremoniali unctione; nam fortasse illi presbyteri bis ungebant infantes, semel in vertice, et iterum in fronte, neutram vero dabant per modum sacramenti, sed per modum cæremonia; Gregorius autem

prius prohibuit alteram ex his unctionibus, quia non erat in Ecclesia usitata, et quia fortasse non existimavit illam esse convenientem, propter periculum erroris et deceptionis, quæ facile introduci poterat, confundendo illam unctionem cum Episcopali confirmatione. Postea vero potuit Gregor. illam cæremoniam admittere, quia non erat intrinsece mala, nec contra jus divinum, cum non esset sacramentalis, sed solum quædam umbra et significatio illius. Possumus autem hæc conjectura confirmare, nam ante concessionem Gregorii utebantur illi presbyteri tali unctione; non est autem credibile, fideles presbyteros, et in regno catholico, nec multum ab Ecclesia Romana distantes propria auctoritate ministrasse sacramentum confirmationis, aut scandalum passuros fuisse, eo quod Greg. tale ministerium eis prohiberet; ergo verisimile est, eam unctionem, de qua ibi agebatur, non fuisse existimatum sacramentum confirmationis.

8. Hæc vero expositio in primis est contra Concil. Florent. in decret. Eugenii, ubi cum dixisset, solum Episcopum posse conferre eam unctionem, quæ est confirmationis sacramentum, subdit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum;* ubi sine dubio refert hoc factum Gregorii; nam ante Concilium Florentinum nulli legimus, Sedem Apostolicam in hoc dispensasse, nisi in hoc facto Gregorii, aut si fortasse alibi legitur, inde sumi poterit idem argumentum efficax ad conclusionem confirmandam. Dico autem, ante Concil. Florent., quia postea Gregorius XIII eandem facultatem concessisse dicitur quibusdam simplicibus sacerdotibus, qui in remotissimis regionibus infidelium versantur, in quibus non sunt Episcopi, et multi eorum, qui ad fidem convertuntur, sine hoc sacramento decederent, si non possent a presbyteris confirmari, quam facultatem alii dicunt concessisse Adrianum VI quibusdam fratribus Minoribus pro Indis, quæ concessio dicitur authentica haberi Hispani in monasterio S. Francisci.

9. Unde potest a simili argumentum sumi ad prædictam expositionem rejiciendam; nam Gregorius I non absolute, sed cum limitatione concedit hanc facultatem presbyteris: *Ubi Episcopi desunt;* ergo signum est non agere de cæremoniali unctione, sed de sacra-



mentali; nam si tantum esset cæremonialis unctio, etiam posset facile concedi in præsentiæ Episcopi. Denique illa expositio omnino voluntaria est, et sine fundamento; nam Gregorius loquitur simpliciter de unctione chrismatis in fronte; hoc autem nomen proprium est sacramenti confirmationis, ut patet ex usu totius antiquitatis supra relato, neque unquam legimus consignationem in fronte adjunctam esse baptismo solemniter inter cæremonias ejus; est ergo ibi sermo de sacramento confirmationis.

10. Ultimo ergo respondet Scotus, D. Gregorium per illam concessionem constituisse illos presbyteros, eosque quodammodo Episcopos effecisse, quoad istum actum. Sed hoc vel eodem revolvitur, vel verum esse non potest; nam si intelligat, fecisse illos semi-episcopos, quoad ordinationem, consecrationem, aut characteris impressionem, est plane falsum, ut per se constat, quia solum fuit quedam extrinseca deputatio, quæ ad præsentes et absentes, vel postea etiam futuros, quantum est ex se, extendebatur, quæ non habent locum in ordinatione ulla vel consecratione; si vero intelligat, illos sacerdotes accepisse aliquo modo potestatem exercendi actum Episcopalem, hoc est quod intendimus, Pontificem posse communicare hanc potestatem sacerdoti simplici sine nova ejus ordinatione, vel consecratione.

11. *Quomodo potuit simplex sacerdos constitui in potentia remota ad hoc, ut possit delegari a Pontifice ad hoc sacramentum administrandum.* — Rationes ad hanc sententiam confirmandam adducuntur nonnullæ ab auctoribus citatis, sed cum res pendeat ex institutione, ad illud semper recurendum erit. Itaque recte intelligimus, potuisse Christum Dominum instituere, ut sacerdoti simplici ex vi suæ ordinationis non daretur potestas proxime, et in actu primo (ut sic dicam) ad conferendum hoc sacramentum, sed hæc daretur soli Episcopo per consecrationem ejus, et nihilominus simul voluisse Christum, ut sacerdos ex vi suæ ordinationis esset (ut sic dicam) in potentia remota, ut adjuncta commissione, seu delegatione Pontificis, posset hoc sacramentum conferre; in hoc enim modo institutionis nulla est repugnantia; imo posset esse magna congruentia, ut in absentia Episcopi non careant fideles aliqua via et potestate obtinendi hoc sacramentum, et habendi sufficientem ministrum ejus. Quod autem hujusmodi fuerit institutio,

ostendit primo factum Gregorii supra declaratum. Secundo, Concilium Florentinum in verbis supra citatis; nam postquam dixit, ordinarium ministrum esse Episcopum, subdit: *Legitur tamen, aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, etc.*, significans Christum instituisse hujusmodi ministrum cum hac latitudine et extensione. Tertio idem indicat Trident., sess. 7, can. 3 de hoc sacramento, dicens, ejus ordinarium ministrum esse solum Episcopum; nam cum dicit, ordinarium, duo significat. Primum, Episcopum ex vi suæ ordinationis habere hanc indelebilem potestatem, ut ipsum docuit sess. 23, cap. 4; secundum, ita habere Episcopum hanc ordinariam potestatem, ut tamen in sacerdote sit capacitas ad recipiendam illam, saltem ex delegatione et commissione. Quarto, Concil. Senonense in decretis morum, cap. 38, cum dixisset, Abbates non habere potestatem confirmandi, subdit: *Quod si qui sint, qui contendunt, sibi competere hanc facultatem ex privilegio, volumus, quod cum primum fuerint requisiti a suffraganeis nostris, de privilegio fidem facere teneantur.* Ubi aperte supponit, Abbates, etiamsi non sint Episcopi, sed simplices sacerdotes, ex privilegio posse hoc sacramentum conferre. Atque hoc sensu adduci solent in hujus sententiæ confirmationem quedam antiqua decreta, in quibus dicitur, sacerdotem posse ungere in absentia Episcopi; sed hæc decreta vel minimum probant, vel nihil, et hoc posterius verius est; illa enim non sunt alia, præter ea, quæ sectione præcedente tractavimus, ubi ostendimus in eis non esse sermonem de hoc sacramento, sed de aliis usibus chrismatis.

12. *Solus sacerdos potest delegari a Summo Pontifice ad hoc sacramentum administrandum.* — *Prima pars probatur.* — Dico secundo, nulli inferiori clerico, neque laico posse hoc ministerium committi præterquam sacerdoti, eique non ab alio, quam a Summo Pontifice ex causa rationabili. Prima pars est D. Thom. in 4, dist. 7, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 3, quem alii sequuntur, et videtur res certa, quam ut minimum probant et convincunt argumenta supra adducta in favorem primæ sententiæ, quia in his quæ sunt de substantia sacramentorum, nihil alterari, aut immutari potest a Christi institutione; sed ex institutione Christi solus Episcopus est ordinarius minister hujus sacramenti, ut Concilia definiunt, solusque sacerdos est in potentia, ut ei possit committi hoc ministerium per Ponti-

ficem Summum; hæc enim sola exceptio constat nobis traditione, quæ non potest firma aut probabili auctoritate ad inferiores extendi; ergo non est id temere faciendum. Et confirmatur, nam dispensatio in his, quæ sunt juris divini ordinarii, non potest fieri a Summo Pontifice, nisi in his, quæ vel ab humana voluntate aliquo modo pendent, vel in his, in quibus eodem divino jure constat, datam esse hujusmodi potestatem, et juxta mensuram et regulam ipso jure divino constitutam, quæ ex usu et traditione colligenda est; sed in præsentem ordinarium jus divinum est, ut Episcopus ministret hoc sacramentum; quod vero alteri delegetur hæc potestas, est dispensatio quedam ipso divino jure specialiter concessa et tradita, ac usus Ecclesiæ hactenus solum docuit, dispensationem hanc solum esse a Christo concessam, respectu simplicis sacerdotis; ergo non potest probabiliter ad alios extendi. Tamen affert optimam congruentiam D. Thom., nam sicut solus sacerdos habet directam potestatem in corpus Christi verum, ita etiam solus habet per se et ex officio directam potestatem in corpus Christi mysticum ad remittenda peccata, et ad ministranda sacramenta ex officio, et ideo merito simplex sacerdos censetur capax hujus potestatis saltem per delegationem, ut, qui potest corpus Christi conficere, et per sacramentum illud fidelem populum spiritualiter nutrire, possit etiam, deficiente Episcopo, illum confirmare, et ad christianam militiam preparare. Diaconus vero et consequenter quilibet inferior, cum crearet prædicta potestate in corpus Christi verum, merito reputatur ineptus ad hujusmodi ministerium, et incapax talis dispensationis. Nam ob hanc etiam causam non potest committi diacono, ut ministret extremam unctionem; ergo multo minus ut ministret confirmationem.

13. *Secunda pars probatur.* — *Secunda pars eodem modo videtur mihi certa, quam nonnulli Scholastici contrarium insinuant; eam vero significat D. Thom. hic, ad primum, dum ait, hoc convenire Pontifici supremo ex plenitudine potestatis, quam habet in Ecclesia; sentit ergo nullum alium habere hanc potestatem. Et idem sentit Palud., dist. 7, quæst. 4, num. 20, et idem tenet Soto eadem dist., art. 42, ad 5, quamquam non videatur satis consequenter loqui ad ea quæ in solutione ad primum dixerat, ut statim annotabo. Ratio autem est supra tacta, quia in his, quæ sunt juris divini absolute et sim-*

pliciter, non potest dispensari, nisi juxta modum et mensuram, ipsomet jure divino statutam et concessam; sed hoc jus ministrandi hoc sacramentum est divinum, et lege ordinaria concessum Episcopis, et ex traditione solum habemus Summum Pontificem posse in hoc dispensare. Unde Concil. Florent. signanter dicit: *Legimus autem per Sedis Apostolicæ dispensationem, etc.* Contra hanc vero partem sentit Ledesma hic; quamvis enim nobiscum doceat nunc de facto non posse Episcopos committere hoc ministerium simplicibus sacerdotibus in suis Episcopatibus, quia hoc est eis a Summo Pontifice prohibitum, existimat tamen posse id facere stando in solo jure divino, et seclusa prohibitione Pontificis, quia tantam habet potestatem Episcopus in sua provincia, sicut Papa in toto orbe, et ad hoc confirmandum adducit canon. 20 Concil. Toletan. primi supra tractatum. Atque idem sentire debet Soto, si talis fuit Christi institutio, qualis ab ipso describitur; dicit enim Christum statuisse, solos sacerdotes, sive ex officio, sive ex commissione posse confirmare, commisisse autem Ecclesiæ, ut posset, prout expedire censeret, limitare, ut Episcopus vel sacerdos sub hac vel illa conditione esset necessarius minister hujus sacramenti. Ex qua doctrina necessario sequitur, potuisse Ecclesiam non limitare hanc potestatem delegatam sacerdoti ad Summi Pontificis concessionem, sed eam extendere ad concessionem Episcopi. Unde fit, stando in jure divino, posse Episcopum hanc facultatem concedere, solumque ex censura et limitatione Ecclesiæ hoc esse Summo Pontifici reservatum. Sed uterque istorum auctorum graviter deceptus est, nam in primis Ledesma nititur fundamento nimis falso et improbabili. Multa enim potest Summus Pontifex in Ecclesia ex plenitudine potestatis, quæ non possunt Episcopi in suis diocesisibus, ut alio loco latius tractandum est. Deinde, si hoc possunt Episcopi jure divino, ubi est illis prohibitum a Summo Pontifice, ne utantur hac potestate? aut ubi facta est hæc reservatio, aut jurisdictionis coarctatio? nullum enim extat de hac re Pontificium decretum. Quod si fortasse dicat, Episcopos amisisse hoc jus per non usum, in primis hoc gratis dicitur, cum hoc non sit privilegium, sed ordinarium jus. Deinde hinc potius debisset inferri, ideo Episcopos nunquam habuisse hunc usum, quia nunquam habuerunt hanc potestatem. Denique alias eadem ratione dici posset, posse Episcopos per contrariam



consuetudinem acquirere jus concedendi hanc facultatem, quod fortasse Ledesma facile concederet. Imo existimat in Græcia aliquando fuisse hanc consuetudinem, ut simplices sacerdotes confirmarent ex licentia Episcopi; quod de Ægyptiis refert Ambros., ad Ephesios 4, sed loquitur aperte de eo tempore, in quo presbyteri simul ordinabantur Episcopi; nunquam ergo in Catholica Ecclesia fuit talis consuetudo, quod Episcopi concedant simplicibus sacerdotibus facultatem confirmandi, nec Concil. Tolet., quod citat, loquitur de hoc sacramento, ut supra vidimus. At vero Soto non recte explicat institutionem, primum quia ex doctrina ejus sequitur, Episcopum non ex Christi institutione, sed ex Ecclesie determinatione, esse nunc ordinarius ministrum hujus sacramenti; consequens est falsum, et contra id quod Concil. Florent. et Tridentinum indicant, dum definiunt, solum Episcopum esse ordinarius ministrum, nimirum ex institutione Christi. Secundo, quia alias potuisset Ecclesia facere, ut ordinarius minister hujus sacramenti esset quilibet sacerdos, si nullam limitationem institutioni Christi adhibuisset; consequens autem videtur etiam repugnare prædictis definitionibus. Tertio, potuisset Ecclesia aliis modis præscribere hoc ministerium, ut, v. gr., quod simul cum Episcopis aliqui essent necessarii et ordinarii ministri, non vero alii simplices sacerdotes. Item quod potestas delegandi hanc facultatem simplici sacerdoti, non tantum esset penes Pontifices, sed etiam penes parochos, vel Abbates; et alia similia inferri possunt plane absurda. Verus ergo modus institutionis est supra a nobis declaratus, et juxta illum limitata est ipso jure divino hæc potestas delegandi hoc ministerium, ut sit propria Summi Pontificis.

44. *Tertia pars probatur.* — Tertia pars conclusionis fere habetur in Concil. Florent. in illis verbis: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa.* Colligitur etiam ex dictis, nam hæc concessio est per modum cujusdam dispensationis; omnis autem dispensatio in communi lege requirit causam rationabilem. Præterea Christus Dominus, qui voluit ordinarius ministrum esse solum Episcopum, consequenter virtute voluit, alium ministrum sine necessitate non introduci; ergo requiritur rationabilis causa. Imo hinc videtur inferri, si aliter fiat hæc dispensatio ex sola voluntate Pontificis, sine rationabili

causa, non solum male fieri, sed etiam irritam esse ac nullam, quia est contra Christi voluntatem, et institutionem, et quia in universum, licet in jure humano dispensatio sine causa facta teneat, quando est ab habente æqualem potestatem, tamen dispensatio in his, quæ pertinent ad jus divinum, ut in voto et similibus, si fiat sine causa, non solum est illicita, sed etiam nulla; hæc autem dispensatio est aliquo modo in jure divino, ut dictum est. Sed hoc ultimum licet appareat probabile, non tamen audeo id simpliciter affirmare, ne videar injicere scrupulum et dubitationem, an confirmatio facta a presbytero ex concessionem Pontificis valida sit; esset enim hoc inconveniens; et ideo simpliciter dicendum est, quotiescumque Papa concedit hanc facultatem, licet fortasse quoad praxin et usum minus prudenter interdum faciat, nihilominus concessionem esse validam, suumque effectum habere, nam hic est convenientior institutionis modus. Unde in prædicto Concilio Senonensi significatur, hanc facultatem posse concedi per modum cujusdam privilegii, quod, ut validum censeatur, nil aliud exigitur, quam quod constet esse concessum. Quod potest etiam confirmari exemplo minorum Ordinum, quos non possunt conferre simplices sacerdotes ex vi suæ ordinationis, possunt tamen ex delegatione Pontificis, quæ semper valida censeatur absque examinatione causæ. Unde non requiritur ad valorem actionis, sed ut prudenter fiat; et ad hoc non semper requiritur causa ex necessitate aliqua vel penuria ministrorum, sed aliis titulis et rationibus fieri potest.

45. *Papa electus, nondum vero Episcopus, potest dare facultatem sacerdoti administrandi hoc sacramentum.* — Solet vero hic inquiri, an Papa electus et habens jam supremam Ecclesie jurisdictionem, nondum tamen Episcopus consecratus, possit hoc ministerium committere simplici sacerdoti; et ratio dubii esse potest, quia tunc Pontifex per se ipsum non posset confirmare; ergo nec posset alii committere; atque ita sentit Paludan. supra n. 51. Sed contrarium videtur longe probabilius; nam hæc dispensatio non est actus Ordinis, nam in hoc non superat Summus Pontifex alios Episcopos, sed est actus potestatis jurisdictionis, in qua superat Pontifex alios Episcopos; ergo si Papa habet supremam jurisdictionem, quamvis nondum consecratus seu ordinatus sit, potest hanc dispensationem concedere. Nec refert, quod per se ipsum non

possit confirmare ex defectu Ordinis, nam sæpe potest hoc modo unus alteri committere quod per se non potest facere, ut Episcopus, nondum ordinatus sacerdos, potest dare jus absolvendi, quamvis ipse per se absolvere non possit; et ratio est, quia hujusmodi concessio supponit in altero Ordinem necessarium ex institutione Christi, ut ei possit hæc potestas delegari, et ipsa solum est veluti applicatio, ad quam sufficit potestas jurisdictionis. Unde consequenter inferitur, si Pontifex electus sit simplex sacerdos nondum consecratus Episcopus, posse, si velit, et rationabilis causa occurrat, hoc sacramentum ministrare secum ipso dispensando, quia non est pejoris conditionis, quamvis, moraliter loquendo, vix possit casus occurrere, in quo id fieri oporteat.

46. *Hæc concessio seu facultas non cessat morte delegantis Pontificis.* — Non cessat cessante causa nisi cum limitatione concessa sit. — *Potest tamen revocari.* — Rursus inquiri solet, an simplex sacerdos, qui facultatem habuit a Summo Pontifice ministrandi hoc sacramentum, possit, mortuo Pontifice, illud ministrare. Videtur enim cessare virtus ejus, cum sit veluti instrumentalis, pendens a Pontifice concedente facultatem. Dicendum est tamen hanc facultatem non cessare per mortem concedentis, et ideo in eo casu posse simplicem sacerdotem licite et valide hoc sacramentum ministrare, alioqui sacerdotes hac facultate utentes in remotissimis regionibus (pro quibus maxime concedi solet hæc facultas) fere semper essent moraliter dubii de valore sacramenti, si fortasse Pontifex, qui facultatem concessit, mortuus esset, nam hoc periculum morale est, et frequenter accidit. Accedit, quod in universum gratia non extinguitur morte concedentis; hæc autem facultas est gratia quædam et favor, et ideo non cessat. Unde etiam colligitur, quod licet fortasse cesset ratio vel necessitas, quæ movet Pontificem ad hoc privilegium concedendum, non statim cessat ipso facto hujusmodi facultas, nisi in ea sit expressum, ita ut sub ea conditione; vel limitatione data sit; alioqui si absolute concedatur, semper durat, etiam si fortasse causa non duret, quia non pendet ab illa in fieri et in conservari, neque in sua substantia et valore, ut dictum est. Potest autem hæc facultas semel concessa revocari, ita ut, sicut confirmatio data a sacerdote simplice prius quam habeat a Pontifice facultatem, est nulla, et prorsus irrita, ita etiam

data post revocationem facultatis prius concessæ; quia per hanc facultatem non datur aliquis Ordo, neque imprimitur aliquis character indelebilis, et ideo de se revocari potest, sicut alia privilegia; facta autem hujusmodi revocatione, res constituitur in eodem statu, in quo antea erat, et ideo tam impotens manet simplex sacerdos ad ministrandum hoc sacramentum post revocatam prædictam facultatem, quam erat impotens ante illam concessam. De qua re legi potest Alexand. Alens., 4 p., quæst. 28, memb. 1, art. 3, § 3.

47. *Ad argumenta primæ sententiæ.* — *Contrariam sententiam pertinaciter defendere temerarium est.* — Ad argumenta primæ sententiæ facilis est responsio ex dictis. Dicimus enim Pontificem in hoc negotio non dispensare, neque immutare jus divinum, sed constituere talem ministrum hujus sacramenti, qualem Christus instituit; voluit autem Christus, ministrum ordinarius et ex officio esse Episcopum, extraordinarie autem posse esse simplicem sacerdotem, auctoritate Summi Pontificis ad hoc deputatum; hunc enim fuisse institutionis modum, probatum est ex usu et traditione Ecclesie. Neque propterea hoc extendendum est ad quamcumque aliam, aut materiam aut formam sacramentorum, quia non oportet, eundem esse modum institutionis in omnibus, cum non sit in omnibus eadem ratio, vel necessitas, vel traditio; erit autem simile exemplum in minoribus Ordinibus, supponendo, quod sint verum sacramentum, nam ordinarius minister eorum est solus Episcopus, et tamen possunt ex concessionem Pontificis per simplicem sacerdotem ministrari. Atque hinc fit, characterem Episcopalem esse sufficiens principium hujus sacramenti, et necessarium in ministro ordinario et ex officio, non tamen absolute et simpliciter, quia etiam character sacerdotalis potest sufficere, non tamen per se, et veluti vi sua, sed quasi extensus vel applicatus per concessionem Pontificis; cum enim character non sit potentia physica, sed signaculum quoddam, induens quandam rationem moralem potentie seu facultatis, facile intelligi potest in aliqua actione posse pendere ex concessionem seu facultate morali juxta Christi institutionem. Sed quæres, an illa sententia sit jam hæretica, et nostra sit de fide; nonnulli enim ita simpliciter affirmant, ut Ledesma hic, et insinuat etiam Soto in dist. 7, art. 11, dicens, sententiam D. Thom. non solum esse opinionem, verum etiam Ecclesiasticam sanctionem.